

Franckesche Stiftungen zu Halle

**Academiae Fridericianae Prorektor Ioannes Salomo Semler
S. Theol. Doctor Et Professor Ordinarius Semin. Regii Theol.
Director Senatvsqve Academicvs ...**

Semler, Johann Salomo

Halae, MDCCLXI.

VD18 13089234

Abschnitt

Nutzungsbedingungen

Die Digitalisate des Francke-Portals sind urheberrechtlich geschützt. Sie dürfen für wissenschaftliche und private Zwecke heruntergeladen und ausgedruckt werden. Vorhandene Herkunftsbezeichnungen dürfen dabei nicht entfernt werden.

Eine kommerzielle oder institutionelle Nutzung oder Veröffentlichung dieser Inhalte ist ohne vorheriges schriftliches Einverständnis des Studienzentrums August Hermann Francke der Franckeschen Stiftungen nicht gestattet, das ggf. auf weitere Institutionen als Rechteinhaber verweist. Für die Veröffentlichung der Digitalisate können gemäß der Gebührenordnung der Franckeschen Stiftungen Entgelte erhoben werden.

Zur Erteilung einer Veröffentlichungsgenehmigung wenden Sie sich bitte an die Leiterin des Studienzentrums, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

Terms of use

All digital documents of the Francke-Portal are protected by copyright. They may be downloaded and printed only for non-commercial educational, research and private purposes. Attached provenance marks may not be removed.

Commercial or institutional use or publication of these digital documents in printed or digital form is not allowed without obtaining prior written permission by the Study Center August Hermann Francke of the Francke Foundations which can refer to other institutions as right holders. If digital documents are published, the Study Center is entitled to charge a fee in accordance with the scale of charges of the Francke Foundations.

For reproduction requests and permissions, please contact the head of the Study Center, Frau Dr. Britta Klosterberg, Franckeplatz 1, Haus 22-24, 06110 Halle (studienzentrum@francke-halle.de)

urn:nbn:de:gbv:ha33-1-193217



circumactus ergo propemodum annus est, Ciues aestumatis-
tissimi, et is quidem annus, qui si multis magnisque
euentis casibusque notabilis factus est, notabilior non
modo futurus erat, verum etiam laetae nepotum me-
moriae commendator, si quod primordia ipsius spo-
ponderant, perfectum nunc tandem esset, vt conciliatis belligerantium
voluntatibus, positisque infestis armis, pax optata terris et illa tam sa-
lutaris concordia rediret. Affirmauerant hanc spem non vagi ru-
mores et passim sine capite errantes, quorum haec male ferax tem-
pestas est, sed quam plurima non infida alias rerum publicarum do-
cumenta, sumtuosi praecipue apparatus legatorum, quos adulta ae-
state pacificatum conuenturos, vix quisquam dubitabat. Sed ali-
ter



ter visam nondum exorato Numini, omnes rerum humanarum conversiones, et in his pacis bellique tempora et causas moderanti. Nondum ergo recreatam tam praestabili munere videmus Europam, dulcisque praesertim patria, Germania, eo se adhuc carere beneficio, ipso urgentium belli calamitatum sensu satis pro dolor! intelligit. Vtinam quae nuper adflari visa est velut renascentis aura spei, certior sit dulcissimae pacis praenuntia! Ut nunc quidem res sunt, regum adhuc principumque consilia fluctuant, aestuant magnorum irae exercituum, promuntur arma et quatuntur; vix ea quae sub brumam ingruit caeli asperitas, tristes parumper castrorum componit tumultus.

Sed nihil attinet his commemorandis immorari, quae publice constant omniumque conscientia continentur. Vtinam modo appareret, ita haec ipsa ubique ad animum reuocari, vti quidem et aequum esset et salubre ac frugiferum! cum non desint, qui leuem mentis indolem, suae communisque salutis incuriosae, nimium prodant, vel efferratos adfuetudine malorum animos, ad futuros casus velut occallescere patiantur. Vtriusque culpa fuga, cauendum est, Ciues, ne nos in alium, ut fere fit, ducat errorem. Hoc dicimus, haud aequum futurum esse ac dignum, si quem ita stupefacerent ista, defixumque tenerent, ut ingrata obliuione obtererentur innumera bona, quibus in his temporum difficultatibus abundare tamen nos Deus voluit et quasi circumfluere. Solet enim, cum ad vindicanda mortalium crimina progreditur Numen sanctissimum, beneficam tamen naturam multis modis ac luculentis speciminibus testatam facere, admirabilique velut temperamento parentem miscere et iudicem.

Itaque hoc tempore etiam sacro laetoque, quod viuendo, quae Dei indulgentia est, rursus attigimus, absit a nobis, Ciues perdilecti, ut turbarum quibus feruet orbis atque atteritur, vel recordatione ac sensu, vel rumore ac fama, vel formidine denique ac tristi expectatione, oppleta adeo depresaque geramus pectora, ut suspicere vix sustineamus, et contemplari, cum alia Dei beneficia, tum illud primum, fontem reliquorum omnium, cui inter nos recolendo hoc tempus antiquitus statutum et consecratum est. Sursum potius nunc leuanda lumina, SVRSVM CORDA HABENDA, ut religio-



religiosae antiquitatis formula admonet^(a). Offerunt se pro truculentis motibus illis et tristibus, alii nunc fausti laetioresque et placidi, quos nato Immanuele, pacis auctore ac principe, caeli, non hominum ciebant phalanges atque exercitus. Mittitur, ut rem notam quidem sed ideo nihilo minus admirabilem ex historia sacra repetamus, ad pastores in agro Bethlehemenfi pro grege suo excubias agentes, lectus ad hanc provinciam e caelesti curia legatus, primus rei post hominum memoriam, inter quasunque gestas maximae praeco et nuntius, qui postquam attonitos novae rei miraculo et pautes, bono animo esse iussisset, omnemque metum mittere, recentem ingentis gaudii materiam, clara dulcique oratione explicat. ^(b) Huic deinde defuncto partibus suis *aderat illico multitudo caelestis exercitus*, tota in honorem versa cultumque Dei, in laetitiamque hymnos ac iubilos effusa. Argumentum vere aureorum carminum, quorum summam modo historicus sacer perscripsisse videtur, persequi, aut verborum quae relata legimus interpretationem suscipere, non est nostri nunc instituti; et prostant in angelicam illam odam doctissimorum commentationes interpretum. ^(c) *Angelicam* illam cantionem diximus, idque ex communi receptaque sententia, ad quam confirmandam breuiter in praesenti quaedam adferre ac disputare constitutum habemus. Cum enim programmati academico dispiciendum esset argumentum, in euoluenda quadam meletematum theologicorum sylloge, ^(d) incidimus in commentationem quae ad illustrandam historiae natalis Iesu particulam supra demonstratam conscripta id quod ipsa etiam fronte prae se ferebat, agit, ut hymnologos illos, quos *συνταγμα ὑμνων* Lucas appellat, haudquaquam angelos fuisse efficiat, sed ciues triumphantis, quae vocatur,

A 3

minum

^(a) In liturgia sacrae synaxeos solemnem hanc prisco iam tempore fuisse formulam, satis alioquin constat; cuius frequens in primis apud AUGUSTINUM mentio est. vid. AUGUSTIN. *de vera relig.* c. III. conf. BINGHAM *Origines eccles.* T. V. p. 187 sq. VI. p. 309 sqq.

^(b) Luc. II, 8 sqq.

^(c) Quorum cognata bene multa ac valde diuersa WOLFIVS exhibet in *Curis philol.* ad h. l. et HEVMANNVS *Sylog. Dissertation.* T. I. p. 195 sq. Sunt in his omnino alienae quaedam, et coactae, vehementerque absumiles vero explicationes, ut mirari liceat quo pacto haec „caelitum oratio, (habes verba doctiss. HEVMANNI) concitus effusa dulcissimo, quae tur-

„bae pascuntium illiteratae olim plana erat et perspicua, viris doctissimis compendibus, tam suavis obscura et impernia, ut non humano sed angelico (1 Cor. XIII, 1) sermone vti videri queant cantores illi beatissimi.

^(d) Est illa quidem ex periodicarum ut vocantur scriptorum non mediocri, quem aetas nostra tulit, prouentu, inscribiturque: *Theologisches Magazin, worin brauchbare Abhandlungen und Anmerkungen zur Aufnahme der Wissenschaften, sonderlich der theologischen, historischen und philologischen gesammelt werden.* Prodiit hoc ipso anno MDCCCXII Gothae; possidentque particulae illius III deinceps editae.



ecclesiae ex hominibus collectae. (e) Cum et antiquitas magno consensu angelos interpretata sit, et nostra aetate vel quae a nobis propius abest, vix quisquam hanc sententiam mislam fecerit: mirabamur, quid esset, quod nebulam obiecisset tot interpretum oculis, in quibus multi sane essent haudquaquam tardi vel sequaces, sed circumspedi et satis ad rectiora videnda oculati; horum igitur quid tandem offecisset luminibus mirabamur, quo minus pridem, quid narratio tam plana et simplex vellet, animaduvertere ac reperire possent. Nec tamen apud nos vel antiquitatis auctoritas vel eruditionis, efficere debere videbatur, ut prolata noue (f) sententia, etiamsi ab ea veritas et ratio starent, proscribenda esset, et vno quasi nouitatis crimine damnanda. Enimuero non videntur, quae ad ornandum *εὐαγγέλιον* conquisita sunt argumenta tanti ponderis esse, ut vetus et communis interpretatio deferenda sit. Fuerint forte nonnulli illius diatribae lectores, quos nouitatis gratia, genus etiam scripturae comtum et floridum capiat; quosdam etiam grauis, quae receptae sententiae scribitur dica, (g) perpellet, ut praecipitato adsensu, reiiciant, quod nec periculosum est, nec conuictum. Placet igitur paucis dispicere, quid historia sacra, eiusque verba ad bonae interpretationis leges reuocata nos in hac re statuere iubeant, et ecquod momentum in diiudicanda causa habeant, quae ex aduersa parte prolata sunt?

Atque ut inde initium fiat, quod primum in meditationem aliquam rei ingredientibus occurrit, atque etiam caput ad dicendam sententiam esse videtur, inquirendum est, quid illa sonet *caelestis*
exer-

(e) P. L. libr. cit. n. III.

(f) Fuit tamen idem opinatus, sed qui longius adhuc a ceteris interpretibus se iungeret sententiam, FLEMINGIUS, Anglus, existimans, illum etiam qui v. 10. commemoratur, DEI legatum, humanum fuisse e caelesti paradiso demissum in terras spiritum, et quidem si hunc opinatorem audias, Adam progeneris mortaliū ultimi. Hunc autem comitatum tunc esse, quidquid humanorum animorum iam tum in caeli sedibus fuerit, et hunc scilicet esse eum, quem Euangelista narret caelestem exercitum. Sed quemadmodum cogitatum hoc paradoxum natum est ex varietate quadam scripturae in voce *ἐμὴν* (v. 11.) perperam nempe et mendose *ἐμὴν* nobis, vno Cod. Bodlei. MS. exhibente: ita non potest non ista opi-

natio cum hoc quasi fundamento suo labi ac ruere. Recte igitur repudiavit ciuis sui sententiam D. PHIL. DODDRIDGE *paraphras. N. T. T. I. Sc. X. p. 66.* edit. germ. Ceterum illud in pronomine *ἐμὸν* plerumque librariis debere, auribus et auditu errantibus admonet Ven. Collega noster D. CHRIST. BENEDICT. MICHAELIS in *commentatione doctissima de var. lect. N. Testam. §. 5.*

(g) Ipsa auctoris verba l. c. §. IV. germanice ita habent: „Man erwege nur, ob wir nicht selbst „auch gegen den ewigen und unveränderlichen „Lehrbegriff unsers Glaubens anstoßen, wenn wir „annehmen, daß die Geburt Jesu durch gautze „Schuaren von Engeln verherrlicht worden. Quae insinulatio quidem inferius diluocur in commentatione nostra.



exercitus denominatio. Fluxit ea, procul dubio, ex ebraeo V. T. codice; in quo compluribus locis illud *צבא השמים* exstat, cui graecum *στρατις ἑαυτος* apud Euangelistam oppido respondet. (h) Ex isto igitur fonte cum manuerit haec loquendi ratio (vt sexcenta alia) in tabulas noui foederis; patet, indidem etiam, nec aliunde tutius, repetendam eiusdem significationem. Jam duplex, vt recte plerumque traditur ebraicae formulae potestas est, quarum alterutra, prout res poscit, in locis singulis adoptanda est. Interdum enim illa quae mundi creationem enarrans Moses luminaria dicit, sol, lunaque et sidera designantur. (i) Alibi autem caelestes illi spiritus, quos adhibito auditoque angelorum nomine satis nos quidem ex disciplina christiana omnes nouimus, haec igitur praecipua Dei ministeria, illa eadem nomenclatura intelliguntur. Vtrumque productis in medium exemplis adstruere non opus est; de angelis tamen, quia hoc propius coniunctum est cum disputatione nostra, conferri et considerari velimus, quae exstant i. Reg. XXII, 19. Dan. VII, 10. Apoc. V, 11. Ps. CIII, 20. 21. cet. An vero praeterea idem nomen etiam tribuatur *spiritibus*, vt apostolica dictione (Ebr. XII, 23.) vtamur, *consummatorum iustorum* s. triumphantium, quae dicitur, ecclesiae, id quidem haud nihil ambigimus, nec doceri posse putamus, ita esse omnino. Non negamus, easdem res quae ab humanis repetitae exercitibus, angelis (astrisque similiter) id nominis conciliasse creduntur, vt numerum, vt ordinem egregium, cetera, ciuibz caeli humanis pariter competere. Dari hoc potest et haud grauatum concedi; neque tamen in summam ferendi iudicii hoc modo proficimus, quandoquidem non exquirendum hic est subtiliter, quae quibus apta esse videatur nominatio, sed quos ita in scriptura appellari certa exempla doceant. Haec quemadmodum nobis non defunt, angelis eum titulum adsignantibus: ita valde veremur, vt pariter homines ad beatas illas sedes, quod ad animum attinet, transcriptos hoc nomen gerere idoneis ad probandum locis ostendi queat. Is quidem certe, quem vnum ad id ipsum efficiendum adfert diatriba, cum alius qui cum specie quadam produci posset, anquirenti forte non occurreret, is igitur locus rem minus conficere videtur, Ps. CXXXV, 2. Lau.

(h) Superfedemus enotare versionis IXXvialis exempla, quae facile dabit AER. THOMIVS *Concord. graec.* P. II. p. 463.

(i) Nisi quod cum sol ac luna diserte et seorsum nominantur, *maiora* illa (oculis nempe rem

indicantibus) *luminaria*, (Gen. I, 14.) reliqua signat idem dicendi modus sidera. Ier. VIII, 2. conf. Act. VII, 44. Contra ea Gen. II, 1. latius adhuc patet nomen, vt ipse ad terram etiam, vt videtur referendum.



2. *Laudate Dominum omnes angeli eius: laudate ipsum omnes exercitus eius.* Vbi quidem qui parte prima incisi huius *angeli* dicuntur, iidem altera *exercitus DEI* audiunt; prout multo frequentissimum in Psalmis hoc est, ut ambobus in versiculorum hemistichiis idem bis dicatur. Illud enim precario prorsus videtur Vir doctus et non nisi ad efficiendum quod quaerebat, sumere quod dicit, in eo esse hic Psaltem, omnes ut caeli incolas rationis participes ad laudes Dei excitet.

Satis dictum videtur de primo momento, quo superiorem esse veterem interpretationem noua, vix dubitari potest, quod pro illa videlicet usus biblicus militet, pro hac non item. Alterum quod huic ad praecedendam eo magis dubitationem, adiungimus, huc fere redit; si vel maxime ea de qua quaerimus dictio varie accipi possit, atque etiam ita alicubi ut commentatio interpretatur; nostro tamen in loco ambiguitatem satis sublatam esse verbis mox sequentibus mentemque declarantibus scriptoris sacri. Huius enim in narrando iam progredientis proximosque euentus referentis haec verba sunt: ^(k) *Factum est cum discessissent ab illis (pastoribus) in coelum ANGELI* cet. Enimvero qui poterat prudens scriptor et attentus, ne dicamus diuinus, de Angelis caelum repetentibus commemorare, quando de his verbum nullum adhuc fecerat, nisi dicere velimus vnum illum praeconem quem antea angelum dixerat, in plurium nunc numero positus verbis intelligi? ^(l) Quin hoc ergo verum videtur, vnum illum iam cum caelestibus eiusdem naturae copiis coniungi et utrosque adeo communi angelorum nomine comprehendere. Nihil sic quidem in tota hac narratione hiulcum aut confusum; ne obscurum quidem, cum non nouum esset in *exercitu caelesti* angelos intelligere, sed familiare hoc iis fuisse obuiumque necesse sit, qui sacra volumina legissent. Quod autem antea vnus ille, *angelus* diserte nominatus ab *exercitu caelesti* sollicitè quasi distinguatur, hoc quis eo valere putet, ut diuersa natura indicaretur huius atque illorum, cum ad diuersam modo functionem pertineat, quorum altera multis illis communis, altera vni huic propria erat. ^(m)

Videa-

(k) Luc. II, 15.

(l) Tangit etiam hanc, secundi forte nodi rationem auctor l. c. §. XI. not. l.); eidem tamen diffusus, aliud quod tutius videatur acquirit, de quo suo loco videbimus. Si vel maxime breuitatis studio pluribus tribuitur quod proprie vnus erat; non solet tamen in eadem

orationis serie vterque numerus de eodem subiecto adhiberi, ut hic admittendum foret si pro *uno* cuius mentio praecesserat, nunc eadem in historia *plures* (*ἄγγελοι* v. 8. 10. *οἱ ἄγγελοι* v. 15.) ponerentur.

(m) Haud obscure naturam etiam diuersam effectum ire conatur auctor, quaesita et nimis



Videamus autem quomodo hanc nostrae interpretationis fulturam deiicere conetur, oppositam sententiam persuasura nobis disputatio. Primum animadvertere iubet, vulgatiorem sententiam simili difficultate premi. Nam si negetur, humani generis fuisse *caelestem* quem Lucas dicat, *exercitum*, tum vero non magis apparere, quomodo in caelum sublimes abiisse dicantur cum angelis *homines*, cum hominum, ex nostra quidem interpretatione, nulla praecesserit mentio. Non dubitamus, fore plerosque legentium haec nostra, qui negent se intelligere, quo spectet et quid sibi velit haec argumenti quasi retorsio, quique oppido, quod dicitur ἀπερσδιόνυσον esse iudicent. Dicemus igitur paucis, unde natum hoc sit. Alia contextus sacri disunctio auctori requiri visa est, quam quae metaphrasticis, editoribus, interpretibus adhuc placuit plerisque omnibus. Prius ergo orationis membrum (protasin) ad verba οἱ ἄνθρωποι vsque protendi vult; in illis autem οἱ ποιμένες alterius quod respondeat membri (apodoseos) initium fieri. (n) Sed nihil hic temere nouandum esse credimus; neque LUTHERVM nostrum reprehensionem h. l. iustam incurrere existimamus, quod illa οἱ ἄνθρωποι germanice non conuerterit. Hic nimirum πλεονασμὸς, Ebraeis admodum familiarem (o) subesse ratus, exemplo antiquiorum interpretum, (inter quos Syrum Latinumque laudat potius hoc nomine, tantum abest ut castiget, GROTIUS) in sua versione non exhibuit, quippe cum scienter eleganterque nosset conuerti, linguarumque distinguere idiomata natus ad interpretandum megalander. Nec tamen valde repugnamus, si quis mallet optaretque germanice exhibitas voces illas, ἐμφατικώτερον quiddam sectans ratusque ad *angelos*, quos caelum repetiisse dictum erat, tacitum quasi antitheton facere hanc expressam mentionem horum *hominum*, vniuersum quasi genus humanum repraesentantium,

mis arguta versione illorum: οὐ τῶ ἀγγέλῳ. *Bey dem der ein Engel war*; quasi id innuat, eos qui hunc comitabantur non item fuisse angelos: quae refutatione non egent. Nec ut ille vult necessarium erat, si de pluribus angelis mox ageret Lucas, his quae praeciri quasi miramur verbis uti: ἐγίντε σὺ τῷ ἀγγέλῳ (τῷ τῷ) τὰς ἀλλων. Id non ab re quidem alienum, sed nimis exile erat ac frigidum.

(n) Aliorum etiam iudicium turbasse videtur καὶ illud (v. 15.) male pro copulatio habi- tum, cum h. l. ut saepe consecutionem ordi- nemque eorum, quae narrantur, indicet, quod ipsum de Vau ebr. satis notum est ebraice gna- ris. cf. infra v. 21. prorsus simile.

(o) Quale illud Gen. XIII, 8. אַנְשֵׁי אַחֵים huc ref. illa ex graecismo N. T. ἀνθρώπος ἑμ- πόρος, ἐκπορεύων et alia.



tium, quae B. BENGELII aliorumque cogitata sunt. Vtunque erit, modo illud *οἱ ἀγγελοι* ad pastores (non ad alios quosdam) pertineat, vti sane commodissimum est eo referre, salua res est, nec fuerant propter hanc causam fluctus vt dicitur in simpulo mouendi. Inusitatum autem et omnino nouum videtur, spiritus humanos corpore exutos simpliciter *homines* appellari (p), cum quilibet nostrum si *homines* audiat legatque, eos cogitet qui in terris aetatem degunt, altera adhuc humanitatis parte praeditos, hoc est mortali corpore vestitos; nisi clarus loquentis nutus aliud velit.

Aliud porro responsum rationi eidem, ex mentione quasi epexegetica, angelorum petita reponitur, quod eo redit: omitti interdum aliqua in narratione ab historicis cum aliis tum in primis sacris, quae addenda attentis lectoribus relinquuntur; immo vero, si regrediamur ad superiora contextus euangelici, ne deesse quidem, quod requiramus; quid multa? *circumsulgentem* opiliones istos *Domini gloriam* (v. 8.) angelos signare, quorum deinceps in caelum reditus perhibeatur. Duo igitur sunt, quae afferuntur, sed ita comparata vt simul consistere nequeant. Aut enim agnoscenda hic *ἐλλείψις* quaedam historica, aut minus. Et reticentiae quidem non inhaeret auctor, quae vtut passim euident est, (q) huic tamen narrationi, praesertim ob definitam illam angelorum mentionem (r), minus apta esset. Videamus igitur de altero. Confertur cum eo quod apud Lucam est de *gloria Domini* phrasis Ioannea c. XII, 41. vbi *Isaias* suo tempore Christi

(p) Cum non hic solum (v. 15.) sed etiam in postremis caminis verbis *οἱ ἀγγελοι* *δοξα*, animos corpore solutos intelligat diatriba (§. XXX.) ad comprobandum, quod supra dubitauimus, varia conquiruntur sed quae scopum non ferunt. Mittimus quae ex etymologia graeci vocabuli deriuantur, et illa de meliori parte humanitatis philosophemata, nihil hic ad rem profutura, in qua vsu et exemplis standum est. Quae adferuntur 2 Cor. IV, 16. XII, 3. 4. 1 Cor. XIII, 1. facile conuelli possunt, vt illud, in postremo oraculo conuinctos cum angelis *homines* non nisi caelestis gloriae iam participes esse posse. Sensit *ὁ κρυπτός* istius nomenclaturae alius quidam ab errore tamen nec ipse immunis in *Miscell. Groning.* Tom. II p. 86 199.

qui similiter conuersis graecis coniunctisque (*cum in caelum abissent angeli et homines*) non ausus est tamen de ingenti animorum numero interpretari illud *οἱ ἀγγελοι*, sed triumuiros ex historia Matth. XVII. huc aduocat Enochum, Moysen et Eliam; Moysi corpus fuisse excitatum cum aliis interpretibus sentiens. De quibus plura dicere alienum hic foret.

(q) Quam suo loco animaduerti et scite suppleri oportere WOLFG. FRANTZIVS aliique theologorum recte praeceperunt, quorum testimonia collegit, qui ipse hoc argumentum, si quis alius diligenter persequutus est doctissimus D. HEVMANNVS in disert. *de exegetica historica*.

(r) *οἱ ἀγγελοι* V. 15.



Christi gloriam vidisse dicitur. Hanc (ita pergitur) $\delta\acute{o}\xi\alpha\nu$, si c. VI. Esaiæ inspiciamus, Seraphinos esse ad thronum Dei positos et insigni fulgore coruscos; inde clarum ergo nunc esse, pariter hic etiam in simili dicendi modo angelos intelligendos, quotquot nempe praeconem illum comitati sint, ac deinde ad suas sedes reuertisse dicantur. Sed quam longe hoc petatum sit, nemo non viderit. Quid enim cogit, primum, ad oblatas in illo viso prophetae species Seraphinorum eam quam Ioannes dicit $\delta\acute{o}\xi\alpha\nu$ restringere, cum idem visum plura aperte complectatur, haud minus gloriosa et splendida, ut ipsam sedentis in throno maiestatis plenam speciem, sedem etiam magnificam, prolixam illam fluxamque regalem trabeam, alia; quorum quidem, si ita liceret dirimere, alius aliud adferret, $\delta\acute{o}\xi\alpha\nu$, de qua Ioannes, interpretaturus, idque pari iure faceret. Deinde si dicendum quod res est, Ioannes non tam illa phaenomena visionis, vel singula vel vniuersa, quam potius ea ad quae adumbranda illustre visum spectabat, *Messiae gloriam* dicit, veluti naturam illius diuinam, prout in carne apparitura et tempore N. T. reuelanda erat, tum regnum illius in terris latissime amplificandum. Haec nimirum illa gloria Domini erat, qua *terrarum orbem repletum* iri trisagii cantores vaticinabantur. Plura ceteroquin apud Ioannem exstant de ista vnigeniti filii Dei gloria c. I. II. XVII. in quibus illustrandis nemo de angelis cogitauerit. Non magis proinde dici cum ratione potest, Ioannem (illo nempe c. XII, 41.) Lucae phrasin interpretari. Cauendum in hoc alios ex aliis locis interpretandi modo, ne nobis species authenticæ explicationis imponat, si locis inter se minus cognatis sed omnino disparatis abutantur quidam ad efficiendum alicunde quod ipsis placet. Diligentius igitur, si id agas, subducendae rationes et magna cautio adhibenda. Quod autem ad illam a Luca memoratam $\delta\acute{o}\xi\alpha\nu$ $\kappa\upsilon\sigma\iota\varsigma$ attinet, recte eam plerumque de splendore quodam eximio interpretantur, (s) cuius quidem

B 2

(s) Exemplorum, ut recentiores taceamus, HUGO GROTIUS apud CALOV. in *Bibl. illustrat.* abunde collegit. Additum autem $\kappa\upsilon\sigma\iota\varsigma$ (al. $\Theta\iota\varsigma$) significare videtur tale lumen pro indicio praesentis Numinis et cum mortalibus acturi antiquiores habitum esse in Ecclesia; ut non opus sit ad magnitudinem tantum exi-

miam referre cum ZELTNERO aliisque. Conf. tamen SALOM. GLASSII *Philol. sacr.* pag. 593 sqq. et celeberrimos interpretes Gallos de BEAUSOBRE et L'ENFANT, phrasin nostram explicantes - - - une lumière et un éclat extraordinaire et surnaturel.



dem naturam, ortum et ceteras rationes explicare velle temerarium foret.

His ita disputatis, subiiciemus nunc, quae obstare visa sunt, quominus in recepta sententia manendum esse videatur. Negatur primo loco, veri simile esse, Deique bonitati ac sapientiae satis conueniens, angelos potius quam homines ad solennia natalis dominici in terris agenda demitti, cum totum hoc tam salutaris partus miraculum ad homines spectet, his non angelis profuturum. Sed ut hoc generatim moneamus, probari non potest omnino tota haec, in qua non pauci sibi placere videntur, ratio, contra facta, rerumque gestarum fidem ac testimonia philosophandi; cum rectius sane sit, in iis quae a Deo acta aut curata euidenti testimonio credere debemus, vestigia sapientiae ceterarumque DEI virtutum modeste et sobrie indagare; quam ante quasi apud nos deliberare et constituere, quid quouis in casu optimum Deoque dignissimum videatur, tum vero, ne id quod nobis placuit, forte non factum appareat, sacrarum litterarum sententias torquere, et quiduis moliri ut idem illae, quod nobis arridet, dixisse videantur. Hoc nimirum quid aliud est quam Deum humano modulo ac pede metiri, obliuisci τὸ ἀνθρώπινον in viis illius, quin suae ipsius humanitatis parum memorem esse. Si tamen persequi hoc luberet, et in utraque velut lance ea ponere quae verisimilitudinem quandam praestarent, minus dubitamus nouam sententiam dissimiliorem vero visum iri expensis ut par est omnibus. Ut enim nihil dicamus ipsam quoque angelos in hanc scenam admittere, (quae nempe δόξα κυρίου de his capiat) ita tamen ut quod egerint dixerintque non appareat; adeone nouum videatur, Deum in rebus maximis ad oeconomiam salutis nostrae pertinentibus angelico uti ministerio? Saepe hoc potius occurrit, cum contra similem prouinciam nunquam legamus iis demandatam esse qui ex hominum genere in beatas illas diuini domicilii μὴναις (Io. XIV, 2.) recepti sunt; ut alia mittamus.

Sed grauior quaedam communis sententiae insinuatio adiungitur, quod aduersariam sibi habere videatur orthodoxae fidei regulam, quam analogiam fidei dicere solemus. Pronocatur ad ea quae de statu exinanitionis Domini IESU tradi ac doceri solent ad ductum scripturae. Huic

Huic igitur statui, quo *seruili forma* Christus indutus fuerit illam angelicam pompam, praestitumque a tam excellentibus naturis cultum non congruere; ob stare adeo decretum Patris id quod Ebr. I, 6. exstat: *Cum introducit iterum primogenitum in orbem; omnes, ait, cum angeli diuini adorent.* Duplicem igitur hic memorari εἰσαγωγὴν Christi, alteram in statum humilem per humanam natiuitatem, alteram in gloriosam conditionem per resurrectionem e mortuis; cumque porro adoratio posteriori huic statui adsignetur, consequens esse, ut in priori illo id officii ab angelis ipsi praestitum haud sit, licet alioquin non omnino ministeriis ipsorum penitus caruerit (Matth. IV, 11. Io. I, 31.). Breuiter de his sententiam dicemus. Quod generatim primo dicitur de statu humili illaque serui forma quam Christus sumsit, nihil ad definiendam hanc rem valere potest; cum satis constet, reluxisse tamen in ipsa illa humiliatione crebros atque excellentes maiestatis diuinae quae cum carne eius communicata erat, radios, ut theologi plerumque ista specimina vocare solent. Huc non modo miracula, quae ipse sua virtute edebat Christus, referenda, sed et alia quae in ipsius honorem diuinitus contingebant. (t) In hoc genere igitur quid et quantum fieri debuerit, aut habuerit locum, nostrum non est statuere. Neque dictum illud apostolicum, suis alioquin non carens difficultatibus, rem expediet, quae a nobis quaeritur. Neque enim illud πάλιν, geminum Domini introitum in orbem designat atque efficit, sed ut a multis est admonitum inseruit noui cuiusdam oraculi, post aliud prolatum, allegationi, (fere ut latinorum *item*) nec semper fronte ponitur, quo loco tamen a LUTHERO idem sentiente ob linguae vernaculae genium, collocata est respondens vox germanica; in graecis liberius ipsi etiam orationi interponitur. (u) Et si vel maxime statuas Psalm. XCVII. vnde istam excitat sententiam apostolus, ipsaque verba epistolae ad Ebr. adorationem respicere Christo regi, iam exaltato et praesertim olim ad iudicium redituro ab angelis omnibus exhibendam; nonne istius solennioris et publici cultus quasi praeludium quoddam in statu priori atque ipsa infantia Christi exsistere potuit? Sufficit, his maiora atque illustriora, gloriosae Domini conditioni reseruata esse. Quanquam quod ad auctorem illum attinet, videtur aliquid hic ἀρετὴν γὰρ τοῦ κυρίου tamquam certum sumere, nempe illum caelestem

B 3

(t) Ut in baptismo Matth. III, 16. in transfiguratione Matth. XVII cet.

(u) Vid. WOLFII *Cur. Phil.* ad h. l. itemque BENGELII *Gram. N. T.*



chorum primo quidem ad stabulum Bethlehemense aduolasse et ibi infanti diuino honorem religiosae venerationis praestitisse, tum vero inde mox reducem angelo praeconi superuenisse, pastoribusque adstitisse. Sed de priori quidem re altum silentium est in historia sacra; placet ergo potius B. BENGELII obseruatum in *Gnom. N. T. ad Luc. II, 15. Homines ad Iesum veniebant* (pastores nempe): *angeli officium faciebant* *eminus.*

Patere ex his quae breuiter disputata sunt opinamur, nec temere susceptam pridem ab interpretibus probatissimis sententiam esse quam defendimus, nec propter ea, quae cum specie aliqua dici potuerunt, temere deferendam. Adiungamus tamen paucis, quae praeterea pro commendanda noua hypothese l. c. scripta sunt. Nempe quod pronuntiatum ab Seruatore optimo legimus de Abrahamo diem ipsius cum gaudio vidente (Io. VIII, 56.) comparandum dicitur cum eo quod Lucas inter alia acta natalis Domini narrat: quodque ipsum supra considerauimus. Summa eorum quae fusius exponuntur in diatriba (x), haec fere est: diem Christi quem Abrahamus, ipso Domino teste viderit, non alium esse posse quam natalem ipsius, hunc porro vidisse sanctissimum patriarcham, cum admixtus beatarum illarum mentium cohorti, Bethlehemae natum ex stirpe sua quoad carnem, coram intueri posset, ipsumque venerari, insigni sane vtrumque cum gaudio. Hanc vero felicitatem promissam esse Dei amico, cum filius Dei ad ipsum sermonem, qui Gen. XV. exstat, haberet, in quo haec verba: *Ego ero merces tua*, huc spectent. Christum ergo id, quod in loco Ioanneo dicit, ad Iudaeos allegare commodè potuisse, qui nec promissum in Mosis pentateucho existans ignorare potuerint, nec vero eius implementum, quia pastores rem illam mirabilem vulgasse dicantur, cuius credibile sit tum etiam memoriam superfuisse apud hierosolymitanos.

At euimvero multa hic congeruntur, quae quod incerta sunt, et opinione nituntur non claris testimoniis, ad recte subducendas rationes non valebunt, nec sufficient aequis existimatoribus. Sed non opus est singula fusius persequi; cum illud facile appareat, oraculum

Ioan-

(x) §. XIV sqq.

Ioanneum perdifficile, non posse commodum ad Lucae interpretationem fundamentum et quasi clauem praebere.

Nos autem, Ciues aestumatissimi, omnium illorum quae relata legimus, eiusque rei praesertim, quae in his princeps et quasi caput est, natiuitatis filii DEI, memoriam ita salutariter recalemus, cogitationesque frugiferas tum demum suscipiemus, si non modo ad primos, felices illos quidem sua sorte, spectatores auditoresque ista pertinuisse in animum inducamus, sed ad nostrum genus vniuersum, quin immo ad singulos nostrum. Et nobis igitur non minus quam aliis liceat illa Eliae verba nostra facere: *Nobis infans natus est; nobis datus filius*, Es. IX, 5. Ad hunc, quotquot sine eo salui esse beatique nequeunt, fidenter accedant, suaeque saluti restituendae, suae expiandae culpae, suis morbis sanandis datum natumque esse glorientur ac gaudeant. Hunc eundem praeconio etiam angelico et illo dulci concentu commendatum in terra viventibus, voluit Deus indulgentissimus. Quidni ergo mente nunc et pio animi affectu, quando aliter fieri nequit, angelorum societati nos adiungeremus, et cum illis, quantum in hac mortalitate licet, paria facere cuperemus? Laudant illi Deum, qui ad thronum maiestatis diuinae alias praesto esse dicuntur, iam velut ad scabellum pedum ipsius, (quod telluri nomen datur Es. LXVI, 1.) prouoluti, vt nos quoque exaudire queamus: hoc tam illustre exemplum quod praestitum nobis est imitentur, quotquot olim ἰσάγγελοι fieri cupiunt, eodemque iucundissimo aeternum fungi officio. Nec laudamus modo propitium Patrem, sed quod eorum est qui beneficio se adfectos deuinctosque intelligunt, habeamus gratias et agamus; tanto quidem eas maiores, quo maius est quod ipsius munificentiae debemus beneficium. Non mediocre in nobis iure requiritur studium, non mediocris diligentia, quando omnem mediocritatem tam longe supergressum est quod Deus impertiit. Quis autem digno veroque adfectu venerationis, gaudii, amoris in Deum, grataeque pietatis imbui poterit, nisi qui suis ante malis indoluerit, suaeque ex prauitate tristitiam horroremque conceperit. Discamus ergo vel ex tanti quod Deus parauit remedii magnitudine morbos ac vulnera nostra, atque ex inaeestimabili quam ille fecit impensa, quanta sit

iactura



iactura intelligamus, cui reparandae tantum est pretii indultum. Non deerit per hos dies multiplex ex sacris oraculis testimonium de magno illo fidei et pietatis mysterio, modo adesse non corpore solum verum et animis voluerimus cum ista auctoritate verbisque DEI nuntiabuntur. Nec, si recte rem aestimamus primis illis Evangelii auditoribus inferiores ac minus beati sumus; siquidem de omni DEI consilio ad salutem nostram inito, de Christi meritis ac beneficiis, deque via ac ratione illis potiundi, multo vberiora et clariora nobis ex locupleti apostolorum testimonio praedicantur, quam vel illustris ille praeco pastoribus patefacere, vel ille caelestis chorus occinere poterat. Agitedum igitur caueamus, ne ab illorum sedula alacritate et studio nos superari patiamur; omnis hic torpor, inertia, desidia his maxime indigna censeatur, qui videri volunt ingenua indole praediti et non illiberales optima et pulcherrima quaeque studiose persequi et complecti.

Dominus autem exercituum, idemque Deus pacis et gloriae, salutaria nobis esse iubeat haec solennia sibi que gloriosa, efficiatque pro indulgentia sua ut quiete atque etiam pure sancteque a nobis sacra fiant, festumque transigatur tempus. P. P. prid.

Nat. Dom. MDCCCLXI.





